Silnicki Benedicti: Rosa florida D. Stanislao de Buzenin Pstrokonski officiosae salutationis ergo dicata.

ROSA FLORIDA,

Illustriss: ac Rndiss: Domino,

D. STANISLAO

DE BUŻENIN

PSTROKONSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CHEŁMENSI,

PRÆPOSITO PŁOCEN. &c. &c.

Auspicatò

TINECEN: ABBATIAM

adeunti,

Officiosæ Salutationis ergò

A

Fr. BENEDICTO SILNICKI

aa. d. cq;.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Valeriani Piątkowski,

Anno Domini, 1647.

In Gentilitiam Rosam
Illustriss: ac Reuerendiss: Antistitis.



Cedite Pęstano, geminata rosaria, cultu,
Campanę hortorum cedite delitię,
Vestras vincit opes, refluos quę spargit odores,
Inq; solo, inque polo, Pstroconiana rosa.

ROSA FLORIDA.

GRatiſſimus hîc Tuus, Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ. Antiſtes, multumq; deſideratiſſimus ad nos aduentus, vota quidem promptiſſima, Orationem verò breuiſſimam deſiderat. Satis apud Te fuerit eloquens, quiſquis peramæno candore innutritus, gentilitiam Tuam venerabitur ROSAM. Nefas eſt omni nexu, & obligatione deuinctum, in tanta geſtientium animorum lætitia, rigidum Harpocratis tenere ſilentium. Exuit omnem penitus humanitatem, qui in conſpectu Patroni, nō parum diſertus, ſed elinguis eſt. Conſona e-

nimuero res est veritati, boni ominis tesserã, in aduentu Principum propinari ROSAM. Quam & vnde magis apud Te, iucundam, quàm à Te, Tuoq; gentilitio Symbolo auspicabitur quisquam gratulationẽ? Ego verò magis ne audacem me, quàm prouidum, in hoc officioso negotio probauero, non dum curiosè inquiro. Quod in hac sacratiori vmbra silentij spiro, & placeo, Illustriss. Antistes, Tuum est. Et satis omnibus placeo, si Tibi! qui magnum spectatæ prudentiæ in Orbe Polono theatrum erexisti. PSTROKONIA equidem ROSA in BVZENINO primùm enata fundo, naturæ miraculum, virtutum seminarium est. Nouo spectaculo, & iam Syrij ardentis æstus temperauit; & autumnales promouet, velut postliminio verni temporis obsequio amænitates. nec rigidam hyemis vnquã austeritatem exhorrescit. Referant ambitiosi ad Lunam originem suam Arcades, &

in suo

in suo volubili Orbe, per fabulosa figmenta triumphent: PSTROGONIA certè ROSA, ita communem rerum agnoscit ac veneratur Parentē, vt à cuius radicibus hausit, & Polono *Solo*, & Septemtrionali *Polo*, suauissimam semper odorum propinarit fragrantiam. Neq; verò genialis Rosæ pulchritudo, fucum habet, vel cerussam, quæ innato splendet candore, quo vel Lunā ipsam superet tum ob maculas, tùm ob rubiginem tenebrarum sæpe horridam. Et.

Quæ nisi constans est, in leuitate sua.

An etiam Orientis prænuntia Solis Aurora, amænissimos à ROSA mutuaretur colores, meritò ingeniosus Poëta dubitauit.

Ambigeres, raperet ne rosis Aurora ruborem, Ausonius.
An daret, & flores tingeret orta dies?

Planè ROSA liliorum nitorem, dulcem violarum ferruginem, ligustrorum lac, & reliquos suauissimorum florum colores, iucundissima venustate antecedit, quasi à

 natu-

natura ipſa omnium florum Regina deſignata. Auſus eſt pingere hoc naturæ in Rosa ſecretum, & neſcio an ſit aſſecutus Auſonius.

Hæc viret anguſto foliorum tecta galero;
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi faſtigia celſa obeliſci,
Mucronem abſoluens purpurei capitis.
Vertice collectos illa extenuabat amictus
Jam meditans folijs ſe numerare ſuis.
Nec mora ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens incluſi ſemina denſa Croci.

Quid tandem amabilius Rosa, quæ ſpinis etiam, & ſentibus ipſis, armatur ad ſpectātium, vel tangentium voluptatē? Et quod venuſtius eſt, vel poſt ſubtilem pollicis ictum, imperium ſuum retinet, & Coronā. Neque illam Spinarum cuſtodia offendit, ſed defendit. Suſpicio in hoc argumento, eximium veritatis arbitrum Basilivm, qui vel Rosæ Spinas, ſtimulos amoris appellat, non timoris; cum venuſtos amici con-

templatur aculeos, in Epistola. *Quæ florem quidem*, inquit, *habebat Rosæ, totum nobis ver, blandæ ac eloquentis linguæ expandens: verùm querelis quibusdam & accusationibus, cõtra nos spinosa erat; At mihi eloquentiæ tuæ, etiam spina iucunda est, ad maius amicitiæ desideriũ incẽdẽs.* Quod illiustrius PETROCONIANÆ Suadæ elogiũ est, quàm aculeis suauiter pungentibus, instructa Oratio? D. Basilius ep. 149.

Nam quid opus teneras, mordaci radere vero Auriculas? Persius Sat. 1.

Luditilla verbis, sed non lædit amicũ; corrigit consilio non corripit aduersariũ. Dulcis & pariter salubris in Senatu, in Religione salutaris; *Censoriæ* etiam *intentionis episcynium dispergens*; quod beneficium supercilіosis Oratoribus negat Tertullian9. Tertull. lib. de Pall. Prodigio simile, existimat quisquam, innocentis ROSÆ florem, aculeato sepe spinarum vallari? Ego verò aio. Quin naturam nouercam prouoco ad diuortium. Si

spinis

Plin. lib. 21. c. 24. spinis careat, ROSA, non est. quia natura sua spinosa est, ideoq; odoratior. Illius indicium odoris, corticis Scabruties. ROSÆ Candor inter Spinas armatus securè conquiescit. Vt veneranda specie, statim oculos feriat, animos percellat, absterreat manus, cohibeatq; importunè vellicantiũ. Illo, illo virtutis ROSEO candore MATTHIAS PSTROKONSKI euasit, ad Virtutis, & nominis gloriam. Qui tum Principibus placuit, cum rigorem morum, suauitate perculsit! tum grauis auctoritate, cum dulcis Oratione! Sic illius asperitate saginata ROSÆ mititas, SIGISMVNDVM III. in Sueciam, & inde abduxit. Sic hominũ animos, & sępe rebelles, imo perduelles, nescio quid peregrinũ odorantes, odore ipso coërcuit! Sic vel hostes quia spinosa auertit; vel Ciues, vt generosa refecit; vel amicos, vt candida recreauit. Tanti huiusce odoris, plenæ sunt sapientum voces, ple-

Benedictus Curtius Symphorianus. Hort. lib. 30. c. 22.

Ill. Stã: Lubinski invicta Matt. Pstrokonij.

nus

nus Orbis Sarmatici Parnassus. Nam vt Regibus in manus fasces dedit, sic magnis Ciuibus, Magnus ipso nomine PSTROCONIVS, roseas imposuit Coronas. Dubitarem hoc reuelare posteritati, nisi genio & stylo insuperabilis consanguineus, hoc nobis tanquam debitum explicuisset ad memoriam secretum. Sed etiam simplex stylo, candidus animo, canitiè ipsa Venerandus Senex, dum alios luci explicat, hunc maximè suspicit MIECHOVIÆ Patronum. Nimirum alter hic fuit Isocrates, sed diuinus, ex cuius Roseto, non nisi meritis odorati, in Orbem Sarmaticum Viri promanarunt. Illi inquam laureati, quia laureis literatis addictissimi LAVRENTII GEMBICII, illi nominibus & meritis eximij LVBINII, grauissimi autoritate & prudentia VEŻICII, laboriosi in bono Reip. propagando ZADZICII: quos velut in Æneæ clypeo more Maronis finxit quidam, sed non effinxit arbiter

Ill. Stā. Lubinski de rectè gerendo Episc.

Adm. R. D. Sam. Nakielski par. 3. Miechouiç

biter pietatis, dum sparsos in omnes Rosæ
PSTROCONIANÆ contēplaretur odores.

Adm. R. D. Sam. Nakieski parte 3. Miech.

PSTROCONj Sacræ castißima gemma Minervæ,
PSTROCONj, Phœbi lausq; decusq; tui.
PSTROOCONj, Magni Phœnix Venerande Senat9
(Abs cuius roseo, fragrat odore polus)
Dignus eras nobis nunquam moriturus, in annos
Heliæ Vitam viuere, continuos.
Præsule Te genium, MIECHOVIA spirat amænū;
Præsule Te solidum lusq; Piumq; viget.
Præsule Te meriti patribus renouantur honores,
Præsule Te florent Relligionis opes.
Tu templis VEZJKVM ZADZJCVMq; dedisti.
LVBINJOSq; graues, consilio, atq; stylo.
Tu Patriæ REGEM, LIBERTATEMq; Polonis
Concilias, præstans auctoritate, fide.
Quicquid Posteritas, Fastis inuoluit in istis,
Istud ab exemplo profluit omne Tuo.

Hæc Tua Illustriss: Antistes, gentilitia RosA, & sic in amæniss. Patriæ roseto floruit, & dedit Te posteritati florentem. O fæ-

cun-

cundam nimium ROSAM, quæ & religiosam
Familiam, quæ à SS. nomine IESV nomen
habet, odore refecit, & Patriam Suauissi-
mis meritis recreauit. Gratulari libet au-
gusto huic viridario, quod tam fæliciter, i-
stam perbeatam ROSAM transplantatam
susceperit, & felicius emiserit, ad illustrem
meritorum propagationem. *Obaudite me*
diuini fructus: & quasi ROSA plantata super
riuos aquarum, fructificate. Florete flores, qua Eccles.
si Lilium, & date ODOREM; & frondete in gra 39.
tiam; & collaudate canticum, & benedicite Do- v. 17.
minum, in operibus suis. Hic sibi domicili-
um simplicitas, candor animi, integritas,
puritas, tenax propositi æquitas perenni iu-
re designarunt. Quicunq; huic albo inscri
pti sunt, incedunt conspicui; *Habentes RO-*
SAM & Lilia. Et has apud nos virtutes 4.
(procul inuidia) more Maiorum propagatas, Ezdre. c. 2.
Illustriss. Antistes inuenisti. quas ne fuco vi-
olentur ostentationis atro reconditas foue-

 mus

mus velamine. Nam hæc propitio Numine D. Patris BENEDICTI germina, excreuerunt in Ecclesia Dei, *quasi plantatio Rosæ in Jericho.* Ingens in hoc Roseto, est Rosarum exercitus, qui ne oculis quidem capi potest, quia æternitati insertus est. Illinc *Rosis* concolor domicilium est; ne solus in terris Rosarum cubiculis, verno tempore, superbiret *Galienus* Imperator. Illinc ver floridum, vernasq; *Rosas*, per Zephyrũ preconem, euocat æternitas, ad amænitatem. In illo Deorum Indigetum Conuiuio, Amore saltitante, nectar effusum adrubuit in *Rosam*. Age igitur Illustriss: Antistes, cum Lyrico.

Eccl. c. 24.

Sparge Rosas audiat inuidus,
Florentem strepitum Lycus.

Hor. l. 3. Ode 19.

Nam Rosæ huius non ferunt odorem, quicunq; veræ virtutis gustum, non habent. Odor Rosæ puris & si calidis capitibus prodest, fæda humorum illuuie madidis, magis

magis obest. Quin & scarabei, Rosa necantur, vt est testis *Theophrastus*. Et *Tarantius* apud Absyrtum ictos à serpente, seruari contendit, qui Rosæ radicem amuleti vice gestauerint. E Rosa quoq; medicamentum contra Scorpiones, assignat *Democritus*. Certent, Prænestina, Campana, Plí.l.21 Milesia, Trachinia, Alabandica, Pangæa, c. 4. Græcula, Carthaginensis, Ciremiensis, & quæ Cylistos, & eccylistias suppeditant Corollas, & quæ in Arcadia à Timarchide dicitur *euomphaton*, multitudine foliorum, læ Cæl. Rhod. uore, colore, odore Rosæ; omnes vna lib. 27. Pstrokonia, varietate, fragrantia, nobi c. 26. litate, perseuerantia meritorū vincit. Quid quod huius amænitate Rosæ, currentis etiam anni senectus reiuuenescit? & omnis vernat odore hyems! vt ver hybernum, & hyemem vernam, Sarmatico sub polo, nobis repræsentet! siue cognato candore, circumfusas vincat niues, siue Cælo concolor

 dulcem

dulcem redoleat suauitatē! Et quisquā dubitabit, si torrida reflorescit æstas, in ver peramænum, Autumnum quoq; gratissimā ob temperiē, suas inter vernare vindemias? Circumfert vbiq; hæc ROSA verni temporis amænitatem, quæ in sæua curarum tēpestate, nunquam rigidis frigoribus obrigescit. O quàm amænus prodromus, Illustriss: D. Roseo meritorum odore, Polono sēper in Orbe, contendisti ad gloriā. O quā salubrem è Tuo patrio Roseto, nobis odoris Africum inspirasti! Et verò conueniebat gentilitium Virtutum hæredem, nullo magis quàm Roseo incalescere odore. Quo enim alio PSTROKONIANI candoris æstus, quàm odorato pietatis spiritu animaret nepotem? Hinc Te nobis conspiciendum dedisti, ad eamfesti solennitatem, qua, *Ipsa ro-*
Hesth. cap. 15 *seo calore vultum perfusa, gratis ac nitentibus oculis*, Esther *ingressa, stetit contra Regem* cuius *facies plena est gratiarum.* qui *tulit auream virgā*

& po-

& posuit super collum eius. Venisti gratiss. Hospes in Tuum Tinecium, dum *Quasi flos rosarum in diebus vernis*, magna Dei parens, in die suæ Natiuitatis salutatur. Nam pariter omnia bona cum illa nata sunt mortalibus. Quam sit Vestra Gens, huic Magnæ Patronæ dedita in obsequium, consona veritati miracula testantur. Illius propitiam benignitatem MATTHIAS PSTROKONSKI expertus est infans. Abreptus flumine, aquarum gurgite absorptus non est. Quasi ferrū Elizei, aquis innatabat, qui Virginis dextra tenebatur, ne concideret in profundū. Molem corporis, mole aquarum non comprimi deorsum, nonne nouum prodigium est? Sed viuax ignis ille immaturæ ætatis, profundis Vartæ vorticibus suffocari non potuit, qui prouido candore, debuit accēdi in flammam pietatis erga Virginem. Hoc singulari Religionis affectu, fidelis alumnus, Matrem Dei Virginem, semper veneratus est.

Eccles. cap. 50

4 Reg c. 6.

est. Hanc Mineruam suam coluit, hanc literatis addixit Camænis Patronam. huic progressiones, honorumq; in Rep. gradus, huic aras, sacrasq; tyaras, & quicquid in vita magnum habuit, consecrauit. Quippe inter Scyllam & Charybdim, inter vadosa breuia, & Syrtes, procelloso in mari iactamur mortales, pulsamur tempestatibus; in tanta vitæ calamitate, fortunæ rabie, tutela à Virgine petenda est. Hæc Helice, hæc Cynosura, hæc sacra nostræ spei anchora, quàm potens, tam clemens, etiam naufragos seruat. Enimuero decerptæ Rosæ quæ nam maior vtilitas esse potest, nisi quis odore pascatur, exhibeatq; oculis eius voluptatem iucundissimam. Iucundissimam inquam, quia simplicem, naturalem, nec vllo impendio nostro constantem. Detestantur etiam barbari purpuram, ob adiectitiam multæ impensæ rationem, dolosos & colores. Nullis impensis Rosa, purpure-

Cæl. Rhodig. l. 27. c. 26.

pureum candidumq; retinet colorem: prȩterea locis ſiccis, quàm humidis odoratior prouenit. Seri neq; pinguibus vult, neq; argilloſis locis, nec riguis, contenta raris, proprieq; ruderatum agrum amat. Hoc imitabili pietatis odore, perfudiſti ædes ſacras in fundo BVŻENIO; ſed videant hæc quoq; ſpeculatores oculi Tui Illuſtriſſ: Antiſtes, in Tinecio rudera, quæ mutari cupiunt in aſpectabilem candoris amænitatem. Aſpice vt hoc Principum Apoſtolorum augustal, Magni Mæcenatis STANISLAI LVBIENII, ſpiret munificentiam, qui, ſi per fata licuiſſet, totam hanc horridi ſqualloris abraſurus erat rubiginem: ſed (credo equidem) fæcundam Tuam ROSAM, hæc manet fælicitas: vt florei nitore nominis, venerādam ſpeciem parietibus inducas deſperatis. Inſuper hi quoq; tyronum adoleſcentes in ſpem Religionis ſurculi, Tuæ Roſæ ſuauiſſimo cupiunt odore recreari. Pro-

Plin. lib. 21. c. 4.

 cul

cul ab auribus Religiosæ nostræ Parentis; illa fuerit exprobratio, quam imperitæ mulieri irata ingessit Sapho: *Mortua iacebis, nec enim hortulum habebis Rosarum ex Pieria.* Et prædicantur! Numa quod ab Egeria, Lycurgus ab Apolline, Minos à Ioue, Melesagoras à Nymphis, Pindarus à Pane, Hesiodus à Musis, Sapientiam hauserunt! an nobis *ROSAM cum anemona conferre licebit?* Cum præsertim ab his perauspicatis profluxerint initijs, ad Numinis gloriam, quicunque religiosis olim profecerunt incrementis Sacerdotes. Nam SS. Patris BENEDICTI, antiquissima Familia, nunquam pietatem, ab eruditione, nouercali odio secreuit. At verò innatus est Tibi Illustriss. Præsul in literas fauor. Nempe *Corolla ex Rosis confecta, Musarum esse dicitur:* quæ apud Te Illustriss. Mæcenas, non iam prouerbij locum, sed veritatis tenet argumentum. Liceat igitur nostro huic viridario,

Ben. Cur. Symphor. lib. 30. c. 22.

dario,

dario, cum Rosæ amænitate reflorescere; liceat rosei sęculi, ver perpetuum, ærumnoso hactenus fundo, solatium gratulari. Talem Te nimirum nobis Illustriss. Præsul, Patrem & Patronum præstabis, qualem Te naturæ bonitas, candor animi, integritas, Comitas, & reliquarum virtutum consona harmonia effinxit. In nostro quoq; salutationis proposito, non tam Orationis nitorem, quam mentis obsequentis candorem considerabis. atq; si his ruderibus dictionis, nōdum luculenter expressas virtutum repereris imagines, recordaberis tamen, Rosas, inter allia, solere suauius olere, & rubere amænius, & florere fæliciùs. Quin & Rosæ dum spirant Fauonij, odoratiorem mittunt fragrantiam; nec amæniùs quàm flantibus Zephyris incitati, cantus vocaliores depromunt olores. Nostrum ergo mu-

nus erit sempiternum, Supremo Numini supplicia fundere vota, vt Centifolia Tua. Illustriss. ac Reuerendiss: Præsul, ROSA, odore meritorum fragrantissima, augustis in Ecclesia Dei honorum accessionibus, ad maturitatem efflorescat; nec nisi sat serò, festo Floriferio, in æternitatis ROSETVM reponatur.

DIXI.